



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Procemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



DE EXCITANDO DESIDERIO PERFECTIONIS LIBER QUINTVS. Proœmium.



MENS de perfectione doctrina tribus partibus, cognitione, desiderio, & actione cõcluditur: quarũ cognitio intellectũ perficit, desiderium voluntatẽ accedit, & actio tũ ipsã voluntatẽ, tũ reliquas vires animã studio virtutis absoluit. Cognitio sine desiderio parũ est utilis; quid enim proderit decorẽ perfectionis agnoscere, nec eam cupere, nisi humanã naturã infirmitatẽ ostendere, cuius, vt dixit Augustinus præuolat intellectus, & tardẽ sequitur, & aliquando non sequitur humanus, atq; infirmus affectus.] Desiderium est sine actione mutilũ, quia ad hoc datum est nobis, vt ea, quã desiderio cupimus, labore actionis assequamur. Actio verò in his, quã nõ in inspectione, sed in operatione consistunt, cognitionẽ & desiderium perficit; quoniã ad hoc bona cognoscimus, vt desideremus, & ad hoc cupimus, vt opere siue actione cõpleamus. In superioribus libris intellectũ virtũ spiritualis pro capto exiguitatis nostrã erudimus, vt naturã vitã spiritualis, & substantiã, ac dignitatem eius perfectionis agnosceret, nunc affectus excitandus est, & somnus temporis excutiendus, vt cognitio ad opus ordinata suã vim habeat, & tandẽ post desiderium, actione, & opere absoluta, suã etiã ipsa perfectionem obtineat. Nec inconsultẽ, post datam vt cumque perfectionis notionem, eius desiderium, ac concupiscentiam excitamus, quoniam sicut desiderium boni nullo interiecto medio eius notionem sequitur: ita primum est, ac proximum instrumentum, quo bonum est nobis comparandum. Nullus enim post cognitionem alicuius boni eius assequutioni insistit, nisi ipsum primo loco desideret: & multa, quã bona arbitramur, & confitemur, numquam adipiscimur, quia nec bona, & proficua nobis esse putamus, nec eorum desiderio succedimus. Omnis quidem scientia, aut ars aliqua habet initia, quibus mēs addiscentis instructa, media illius artis, & summa facili negotio capessit. Quod (vt nunc philosophos, & scientiarum, naturalium professores omittam) certẽ Ioannes Cassianus huius doctrinã, quam tractamus solertissimus indagator, luculenta oratione confirmat, & clarissimis exemplis manifestat. Quantum itaque, ait, opinio nostra se habet, cuiuslibet artis seu disciplinã perfectio necesse est, vt à quibusdam mollibus incipientis rudimentis, facilibus primò, ac teneris initiis imbuatur, vt quodam rationabili la-

Ate nutrita paulatim, educataque succrescat, atque ita ab imis ad summa sensum gradatimque conscendat; quibus cum fuerit planiora principia, & quodammodo ianuas arrepta professionis ingressa, ad penetrabilia quoque perfectionis, & excelsa fastigia consequenter, & absque labore perueniat. Nam quem admodum pronunciat puerorum quispiam simplices copulas poterit syllabarum, nisi prius elementorum characteres diligenter agnouerit: vel quomodo citatam legendi peritiam consequetur, qui breues & perangustas descriptiones nominũ, necdum est idoneus coniugare? Qua autem ratione is, qui peritia grammaticæ disciplinæ minus instructus est, vel facundiam rhetoricam, vel philosophicam consequetur? At huius scientiæ aut artis diuinæ, qua animæ perfectionem inquirimus, post perfectionis notitiam primum principium ac mollissimum elementum, non est aliud profectò, quàm ipsius perfectionis ac sanctitatis desiderium, quod somnolentos excitat, dormientes increpat, & ad execrationem omnis peccati, quia perfectioni opponitur, & ad omnis virtutis amorem impellit. Si enim hoc desiderium non habueris, numquam peccata, vt opus est, fugies; numquam vitiosas consuetudines derestaberis; numquam affectus immoderatos comprimēs; numquam aduersariorum iugum excuties; numquam virtutes diligēs; numquam cum Deo, & cum cœlestibus intinam conuersationem cupies; & numquam gnauiter, & diligenter in laborem, ac vigilantiam incumbens.

C Nec istud, quod sapientes cognouerunt sacra Scriptura præterit, imò apertissimè docuit, dum in libro Sapientiæ inquit: Initium illius verissima est disciplina concupiscentia.] De initio sapientiæ loquitur, quam esse veram cœlestium, & virtutis notitiam sanctitati vitæ coniunctam non semel inculcauimus. Huius autem sapientiæ initium est concupiscentia, ac desiderium illius disciplinæ, qua ab ipsa lege Dei, & a sanctis doctoribus, & à perfectorum exemplis, quomodo nobis sit viuendum addiscimus. Nam sicut summa homini cordis perversitas, à desiderio mali sumit exordium, quo desiderio animus excitatus, & victus, malũ semel patrat, & ex vno peccato in aliud ruit, quousque ad consuetudinem veniat, & ex consuetudine in cordis duritiem, ac in extremam misericordiam cadat: ita eiusdem cordis summa perfectio, à desiderio boni incipiat necesse est, quod desiderium vires accumulans, & mentem hominis sapè sollicitans: in opus prodeat, & ex bonorum operum itera-

Aug. in
Psal. 116.
con. 9.

Cassian.
col. 10. c.
7.

Sap. 6.

tione

tione virtutis consuetudinem pariat, & ex bona consuetudine in amorem boni propter seipsum, atque adeo in ipsam perfectionem ascendat. Hoc desiderium est ianua per quam humana mens in sanctuarium, siue in ipsam sanctitatem ingreditur. Est ventus, quo nauigium cordis impulsum à seipso, & à rebus terrenis discedit, & felici cursu in puritatem enauigat. Est primus gradus, quo quis à malo desciscit, & sensim, paulatimque progrediens, tandem in perfectæ virtutis possessione collocetur. Et sicut filij Israel terræ sibi promissæ desiderio pulsati Ægyptum deseruerunt, inuia deserti occupauerunt, itineris molestias sustinuerunt, & hostes, aut iter impeditentes, aut sedes sibi dono Dei datas tenentes debellarunt. Ita veri Ecclesiæ Israëlita, qui Deo precibus, & vitæ sanctitate proualent, desiderio perfectionis excitati fuerunt, vt sæculum aut professionem, & vitam simul, aut sola saltem vitam relinquerent, vt vitam curis superfluis solutam diligerent, ubi labores vitæ spiritualis amarent, ac omnia sui cursus impedimenta prosternerent. Tota quidem perfectionis ars (vt ex his, quæ superius monstrata sunt, liquet) in amore posita est, quo Deum propter seipsum, & propter Deum proximum quoque diligimus, & ex amore vniuersam legem implemus. Sic ergo fines, & media huius celestis disciplinæ in amore sita sunt, ita oportet vt in amore consistat eius initia, ne exordium disciplinæ à medio, sine quo dissentiat. Desiderium autem quoddam genus amoris est, quo nodum habita volumus, & quæ nobis, aut honesta, aut vtilia, aut delectabilia videtur, appetimus. Ab hoc ergo perfectionis desiderio sumat disciplina perfectionis exordium, quod cum perfectio iam non absens, sed præsens fuerit, & in nostras manus deuenerit, in voluptatem seu delectationem transeat, & in alium præstantiorem actum commutatum, meliorem statum sibi præcipiat. Ecce duo extrema vitæ sanctæ, atque perfectæ, desiderium perfectionis, quo mentis puritatem, & omnis peccati & omnis vitij, omnis deformitatis internæ labem fugimus: & possessio perfectionis, qua quod sanctitatis, & virtutis optabamus, pro huius vitæ infirmitate retinemus. Primum arripe, vt extremum capias, à faciliiori incipe, vt aliquando ad difficilius peruenias: hinc primum spiritualis scalæ gradum ascende, vt in aliis ordinatè pedem figens, pedem in eius summitate persistas.

A. 2. 8.

Quia igitur perfectionis desiderium est primum medium, siue primum subsidium, quo mentem nostram ad capiendam perfectionem disponimus, ideo primo loco inter subsidia perfectionis assequenda tractandum est, docendumque quo pacto obliuio nostri profectus vincetur, & tam pulcherrimæ gemmæ desiderij excitabitur. Sic enim huius primi voluminis postrema tractatio non tam, sicut quatuor præmissæ, intellectum erudiet, quam affectum emolliet, & ad exercendas perfectionis actiones promouebit. Faciemus ergo quod Paulus, qui è naufragio liberatus, & in Melitæ insulæ littus eiectus primum sarmentorum multitudinem congregauit, & ignem accendit, vt socios suos vi imbrium, & iniuria frigorum, & præteritæ tempestatis periculis fatigatos, calore reficeret. Sic nos, qui huius sæculi mare aliquan-

A do tranauimus, & sæuam negotiorum secularium tempestatem effugimus, in insulam religiosæ conuersationis appulli, sarmetæ, id est, secundum Bedam, verba sanctæ exhortationis, ex litore scripturarum colligimus, & ignem sanctorum desideriorum succendimus, qui nos, & socios nostros, & omnes vitæ religiosæ cultores foueat, & manus velut gelu rigentes ad opera perfectionis dissoluat. Et sanè non mirum est, quod vipera manus Pauli sarmenta colligentis inuaserit, qui in insulam infidelium, & Deum ignorantium inciderat, quorum est aliena dentibus detractionis rodere, & quacumque ignorant rectè gesta damnare. At nos, qui cum viris non tantum fidelibus, sed etiam spiritualibus viuimus, & ad viros sanctitatis amatores scripta nostra dirigimus, morsum viperæ, & detractionis vitium non timeamus. Si verò aliqui hos sarmentorum fasciculos, quos ex sententiis scripturarum, & dictis sanctorum collegimus fraternæ charitatis obliuio corroserint, & nostram imperitiam & ignorantiam damnauerint, tunc scimus nos Dei auxilio freti morsum viperæ patienter ferre, & dum inuidencia, & detractione mordemur Pauli factum imitari. Ille enim exiens in ignem, nihil mali passus est. Et nos similiter conabimur bonum pro malo reddere, & detractionem venenatam igne charitatis absumere. Sic profectò nihil mali à morsu viperæ, atque à detractione patiemur, imò potius dum iniurias dissimulamus, & fratribus exiguo talèto nobis commisso proficimus, præmium, vt speramus, duplicis laboris, quorum vnum est in scribendo, & alter in iniuriis, & obretractationibus sustinendis, de manu Domini recipiemus. Quoniam verò huius vasti operis institutum est, non tantum naturam, & dignitatè perfectionis exponere (quod iam fecimus) sed instrumenta quoque ex parte nostra ad eam assequendam explicare: & quia hæc (vt dicemus) sunt desideria, & opera bona ex diuina gratia profecta, ideo iste erit huius tractationis, & sequentium ordo, vt primum de desiderio perfectionis, deinde de operibus, ad quæ desiderium perfectionis instigar, non sine aliqua methodo disseramus. Hæc autem opera in duas classes distribuimus, quarum prima eas continet actiones, quæ ad speciales virtutes pertinent; cuiusmodi sunt fuga peccatorum, tam grauium quam leuium, extinctio vitiorum, mortificatio sensuum, & affectuum, exercitatio virtutum, orationis studium, proximorum iuuatio, & hæc omnia (si Deus dederit, & quidè dabit, si expedierit) in duo volumina sequentia reuicimus. Secunda verò operum classis quædam documenta generalia comprehendit, quæ in quocumque statu ab amatoribus perfectionis custodienda sunt, vt se ad diuinam gratiam accipiendam præparent, & hæc in isto libro, post expositum perfectionis desiderium, & eius excitatoria, pertractabimus. Tu Domine, qui modicam fidem meam, & stultam diffidentiam meam his eisdem scriptis hucusque increpauisti (numquam enim putauim tantis occupationibus impeditum, & tam aduersa valetudine affectum, ac tam breui tempore tot paginas scribere posse) aspira desiderijs meis, vt quod pro tua gloria cœpi, pro tua etiam gloria, ac proximorum utilitate perficiam.

Beda.